

LA CONSTITUCION APOSTOLICA "VICARIAE POTESTATIS" SOBRE EL VICARIATO DE ROMA

I

CONSTITUTIO APOSTOLICA Vicariatus Urbis nova ratione ordinatur

PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

VICARIAE POTESTATIS in Urbe executionem cum in ipsa pastorali curatione Dioecesis Romanae magis accommodari oporteret ad directorias normas a Concilio Vaticano Secundo prolatas pleniusque simul aequari cum veris necessitatibus hominum istius aetatis, suasum est ut convenienter recognoscerentur administrandi Vicariatus rationes et regulae, quas adhuc legitime quidem regebat Apostolica Constitutio *Etsi Nos* Sancti Pii Decimi edita primo die mensis Ianuarii anno MCMXII¹.

Porro si illius compago satis faciet propositis suis ac finibus praestitutis, si officia singulorum utiliter dividuntur, si apostolatus scienter dispositus explebitur a ministris peritis — tunc sine dubio salutariter provehetur tota pastoralis navitas pro Urbe Aeterna, *quae videlicet curis commendatur Romani Pontificis, Successoris Beati Petri in ipsa huius Urbis sede, atque, ut talis, supremi Pastoris et visibilis capitis Ecclesiae*².

Etenim hic ab Apostolis Petro et Paulo condita atque erecta illa Ecclesia est, *quacum ob po(ten)tiorem principalitatem, necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est eos qui sunt undique fideles, in qua semper ab his qui sunt undique, conservata est ea quae est ab Apostolis traditio*³. Ad ipsam praeterea spectant ceterae Ecclesiae velut ad unam *quae caritati praesidet*⁴.

Sed eadem illa dignitas ac praestantia officium quoque necessarium secum fert salubriter praemonstrandi exemplum christianae vitae toti Ecclesiae Christi, quae vivit et agit in variis communitatibus christianis, Ecclesiis scilicet particularibus, per omnem terrarum orbem dispersis⁵.

Atqui hoc accommodationis opus rationem insuper ducit multiplicis nec non impli-

¹ AAS 4 (1912) 5-22.

² Cf. PAULUS PP. VI: Const. Apost. *Romano Pontifici eligendo*, AAS 67 (1975) 609.

³ S. IRENAEUS: *Adversus haereses*, III, 3, 1; ed. W. W. HARVEY II, 1857, p. 9.

⁴ Cf. S. IGNATIUS ANTIOCHENUS: *Epistola ad Romanos*, Inscr.: *Patres Apostolici* I, ed. F. X. FUNK, 1901², p. 253.

⁵ Cf. CONC. OEC. VAT. II, Const. dogm. de Ecclesia, *Lumen Gentium*, 15; AAS 57 (1965) 17-18.